

nes antiqui expositores; et Cyril. Alex., lib. 2 Ad reginas, cap. de *Christi sanctificatione*. Nec videntur illa sequentia verba, *ex uno omnes*, posse commodum habere sensum, nisi in plurali legatur, ut sensus sit, Tam qui sanctificat, quam qui sanctificantur, ex uno sunt omnes; nam, si Christus est qui sanctificat et qui sanctificatur, quomodo ex uno omnes? aut qui sunt hi omnes? Quamvis enim responderi possit, hos omnes esse illos filios quos Deus Pater in gloriam adduxerat, ut sensus sit, Christus et illi, ex uno omnes, tamen revera est nimis coacta expositio. Et præterea verba sequentia, scilicet, *propter quam causam non confunditur fratres eos vocare*, non recte coherent, nisi illud relativum, *eos*, referat eos qui sanctificantur.

10. Retenta igitur vulgata lectione, est secunda responsio, qui sanctificat, et qui sanctificantur, esse ex uno Deo, ex uno conditore, ex uno æterno Patre, licet diverso modo; ille ut naturalis Filius, et per se sanctus, et aliorum sanctificator; reliqui ut adoptivi, et sanctificati ab illo; quæ omnia, tam de Angelis quam de hominibus dici potuerunt. Ita vero legunt et exponunt Chrysostom., homil. 4; Theodor. et Theophyl., Ambros., Anselm. D. Thomas, Primasius, Cyrillus Alexand., loco proxime citato. Tertio vero possumus admittere probabilem expositionem, qui sanctificat, et qui sanctificantur, esse ex uno Adamo, seu ex una stirpe et natura, ut Adamus, Cajetanus, et nonnulli alii exponunt. Hac autem posita expositione, dicendum est ibi loqui Paulum de sanctificatione a peccato, id est, redemptione. De hac enim a principio illius capitis sermonem instituerat, ut patet ex illis verbis: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* scilicet, quæ nobis parata est per Christi mortem et redemptionem; unde inferius subdit: *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Et addit: *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*, id est, decebat ut Deus Pater, per quem et propter quem sunt omnia, quique per suam prædestinationem multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare, id est, in gloria et honore exaltare; ita enim communiter legitur et exponitur, ut patet ex citatis expositoribus, et optime ex Petro Marenzio, dialog. 2 contra Nestorium. Alii vero

legunt passive *consummari*, ut Ruffin., in Expositione Symbol., et, quod ad præsens spectat, eundem reddit sensum, scilicet, decuisse Christum, per quem omnia et propter quem omnia, qui per sua merita prævisa multos filios in gloriam adduxerat, consummari per passionem in auctorem salutis eorum, id est, consummare ac perficere munus sanctificandi illos, per passionem et mortem, eos, qui indigebant, a peccato liberando. De hac ergo sanctificatione recte subdit, eum, qui sanctificat, et qui sanctificantur, esse ex una stirpe et natura, seu ex uno Adamo, licet non eodem modo; nos enim sumus per seminalem generationem, ille tantum secundum corpulentam substantiam. Et hinc etiam facile respondetur ad verba sequentia, si in eis vis fiat, scilicet, quod homines tantum vocat fratres et pueros suos; hoc enim non ideo est quia illi soli a Christo gratiam accipiant, sed quia speciali modo cum illo in natura conveniunt et in origine, et quia singulari modo sunt ab illo sanctificati et redempti. Unde, quod subdit Paulus: *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*, puerorum nomine solos homines intelligit, propter prædictam singularem cum Christo conjunctionem; nomine autem *carnis*, et *sanguinis*, non naturam tantum, sed etiam passibilem naturæ conditionem intellexit, ut supra, circa a. 3, q. 1, disp. 5, latius exposui; et hanc vim habet particula illa, *similiter*, scilicet, quoad statum et conditionem passibilem, quod etiam sequentia verba declarant: *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*; ad hoc enim non sufficiebat sola natura carnis et sanguinis, sed necessaria etiam erat conditio passibilis.

11. Denique fieri potest vis in illis verbis: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit*, præsertim si juxta Chrysostom., Ambros., Theophylact., D. Thom., Prima., et aliorum expositionem, emphasim ac mysterium intelligamus latere in verbo *apprehendit*. Nam proprie dicitur quis apprehendere eum quem fugientem insequitur, ac tandem assequitur; cum ergo humana natura, et angelica ex parte, a Deo fugerit, Christus non est insecutus Angelos, sed homines, et ideo dicitur non Angelos, sed homines apprehendisse. Responderi vero potest imprimis, expositionem illam ac ponderationem non esse necessariam, quia nomine apprehensionis intelligi sufficienter potest ipsa assumptio humanæ naturæ. Verbum enim *apprehendo*, in

rigore non requirit illam significationem, sed simpliciter significare potest, accipere, capere, et ad se trahere; et verbum græcum, *ἐπιλαβέσθω*, quod illi respondet, eandem habet simplicem significationem, et ita simpliciter exponunt Theodoret., Cajet., et alii. Deinde, admissa illa ponderatione, nihil nobis obstant illa verba; fatemur enim Christum non redemisse Angelos, et ideo nec illorum naturam assumpsisse, nec fugientes ex illis fuisse insecutum ut eos apprehenderet, et ad se revocaret; nec etiam pro eis mortuum fuisse, nec eis similem in natura et conditione effectum esse. Hoc tamen nil obstat quominus sanctis Angelis gratiam et gloriam meruerit, ut dictum est. Quin potius illa rigorosa significatione verbi, *apprehendit*, recte confirmatur quod dictum est, Paulum ibi loqui de sanctificatione a peccato, et ideo tantum habere sermonem de hominibus, et de specialibus beneficiis illis concessis, et de singulari conjunctione et similitudine, quæ est inter Christum et ipsos, non tamen propterea excludit propria beneficia quæ Christus potuit conferre Angelis, et de facto contulit, quamvis illo loco eorum mentionem non fecerit, quia ad rem, de qua tractabat, non pertinebat.

12. Secundum fundamentum, quod ex auctoritate Patrum sumptum erat, difficultatem non habet, quia fere totum in auctoritate negativa fundatur. Concedimus ergo sanctos Patres in illis locis meminisse illorum effectuum, et non hujus, quia fortasse in hanc quæstionem non inciderunt, vel in re dubia noluerunt suam proferre sententiam. Ambrosius vero, qui nonnihil obstare nobis videtur, primum dubitanter loquitur dicens, *fortasse*, etc. Deinde exponi potest juxta ea quæ sequenti sectione dicemus.

13. Ad rationem ab inconvenientibus sumptam, negatur prima sequela, nam Christus nemini clausit januam regni cælorum, sed quantum in ipso est omnibus fuit semper patens, neque enim debuit per sua merita retardare aliquem ab ingressu gloriæ, vel suspensione præmii suis meritis debiti; et ideo si Angeli non habentes gratiam ex Christo, habituri erant gloriam statim post terminum suæ viæ, et meriti, multo magis eam sine mora recipere debuerunt propter Christum, eademque lex fuisset cum hominibus observata, si in statu justitiæ et innocentiae permansissent; tamen, quia peccando januam regni cælestis sibi occluserant, quæ aperta non fuit donec plene fuit pro tota natura, quæ

reatum peccati contraxerat, satisfactum, ideo ante Christi adventum nullus hominum ad illam beatitudinem admittebatur, ut latius inferius suo loco dicetur. Aliorum solutio patebit ex sectione sequenti.

SECTIO II.

Utrum Christus redemerit Angelos, pro illisque mortuus fuerit.

1. *Origenis error de Angelis.*—Dnibus modis intelligi potest Christum redemisse Angelos, et pro illis mortem obiisse: primo, de peccatoribus Angelis, ut sensus sit, Christum per sua merita et satisfactionem liberasse eos, vel aliquando fore liberaturum ab eo statu in quem per sua peccata inciderunt. Secundo, de angelis sanctis, ut, sicut, Christus dicitur eos redemisse, quia per sua merita eos a peccatis præservavit. Priori modo dicitur Origenem, hom. 4 in Joan., post medium, circa illud: *In principio erat Verbum*. Clarius vero hoc docet, hom. 4 in Levit., et hom. 24 in Numeros. Ejusque sententiam videtur usurpasse Hieronymus, super ad Ephes. 4, ubi inquitur cur Angeli, qui nunquam peccaverunt, dicantur subjici pedibus Christi, et ait: *Potest quidem responderi quod sine peccato nullus sit, unde et crux Salvatoris, non tantum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cælis erant, purgasse prohibetur*. Quæ verba exponi possent juxta alium sensum de præservatione, quia nulla creatura ex se impeccabilis est, et ideo dici possunt Angeli sancti per Christum accepisse, ut peccatum non committerent, quo dicuntur omnino non caruisse, quia illud habere potuerunt; vel certe exponi possent juxta ea quæ super cap. 2 scribit, circa illa verba: *Qui fecit utraque unum*, dicens, *Christum pacem attulisse cælestibus, et terrenis, quia in suo sanguine cælestia et terrestria copulavit, quæ inter se dissidebant, atque ita factum esse ut crux Christi non solum terræ, sed etiam cælo, nec solum hominibus, sed etiam Angelis profuerit, atque ita omnis creatura Domini sui cruore purgata sit*. Verumtamen, quæ idem Hieronymus, c. 4, scribit, exponens illa verba: *Ea quo totum corpus*, etc., non videntur pati posse hanc expositionem; dicit enim *Christum venisse ut totum corpus Ecclesiæ sanaret*. Quod infra explicans, ita dicit: *Ut Angelus refuga id esse incipiat, quod creatus est; et homo, qui de Paradiso fuerat ejectus, ad culturam iterum Paradisi restituatur; ista autem universa sic*

fiat, ut invicem inter se charitate jungantur. Videtur ergo Hieronymus vel secutus Origenem, vel (quod verius est) simpliciter retulisse Origenis sententiam, neque approbando, neque reprobando illam, ut in præfatione illius Epistolæ ipse indicat, et in Apologia contra Ruffin. generaliter se excusat; et in 2 tom., epist. 59, ad Avitum, idemmet Hieronymus inter Origenis errores ponit, quod docuerit damnatos Angelos aliquando revocandos esse ad statum sanctorum Angelorum; quem errorem damnatum esse contra Origenem in V Synodo refert Nicephor., lib. 17 Histor., c. 27 et 28; et contra eundem videri potest late Theophilus Alexandrinus, in duabus epistolis quæ referuntur in 4 tom. Bibliot. sanct.; et in aliis locis hic error ex professo impugnatur, ostendendo pœnas inferni esse æternas et immutabiles; in hoc ergo sensu certissimum est Christum non redemisse Angelos, nec mortuum esse pro illis, non quia id fieri non potuerit, sed quia Deus statuit illis non parcere, nec remedium præstare; cujus potissima ratio est inscrutabilis Dei voluntas; congruentias vero adduximus supra, quæst. 1, art. 2.

2. De posteriori ergo sensu versari potest quæstio inter Catholicos, quæ, suppositis iis quæ in præcedenti sectione dicta sunt, magis ad modum loquendi quam ad rem spectat. Oportet tamen proprie et caste loqui. Bernardus ergo, locis citatis sectione præcedenti, videtur probare illam locutionem, Christum redemisse Angelos sanctos, gratiam præservationis illis conferendo. Dionysius etiam, c. 8 de Divin. nomin., in fine, dicit redemptionem posse appellari ex eo, *quod non sinit, quæ vere sunt, ad id cadere ut non sint.* Præterea, Theod., ad Hebr. 2, dicit Christum pro creaturis omnibus mortuum fuisse; ubi enim nos legimus: *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, ipse legit, ut absque Deo pro omnibus gustaret mortem;* et exponit: *Deo excepto, pro omnibus gustavit mortem.* Ubi Theophyl., licet lectionem illam non probet, quam a Nestorianis dicit esse inductam, illa tamen supposita, expositionem Theodor. approbat.

3. *Christus non proprie pro Angelis mortuus.* — Dicendum vero breviter est primo, Christum, proprie loquendo, non esse mortuum pro Angelis, ut recte docet Aug., in Enchir., c. 61 et sequent.; et eodem sensu dicit Bernard., serm. in fer. 4 hebdom. sanct., passionem Christi neque malis Angelis datam esse, sed tantum hominibus; multa etiam, quæ in sec-

tionem præcedenti in primo argumento primæ sententiæ adducta sunt, hoc confirmant. Quibus addi potest illud 2 ad Cor. 5: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Sed Angeli non sunt mortui; ergo nec pro illis Christus mortuus est. Ratio vero est, quia mors, ut mors, non est assumpta propter Angelos, sed solum propter homines lapsos, unde gratia non est data Angelis ex prævisione meriti fundati in morte Christi, sed fundati absolute in charitate et bonis operibus Christi hominis; ac propterea neque illis data est gratia dependenter a morte Christi; nam si homo non peccasset, Christus non esset mortuus, ut supra dictum est. Denique mors et aliæ pœnæ per se primo assumptæ sunt ad satisfaciendum, unde pro illis solis dicitur Christus mortuus, pro quibus satisfacit; non autem satisfacit pro Angelis, licet illis meruerit; sed satisfacit pro hominibus, ad quos expiandos se ipsum obtulit sacrificium. Nec vero, si Christus Angelis meruit, propterea sequitur pro illis mortuum esse; primum, quia non est necesse ut per ipsam mortem illis meruerit, sicut nobis, sed per alios actus charitatis, vel religionis, etc.; quanquam enim omnes actus Christi de se digni essent quolibet præmio, potuerunt tamen ab ipso quidam actus ordinari ad unum effectum, et non ad alios, ut ex supra dictis in hac quæst., et in quæst. 1, artic. 2, satis constat. Secundo et melius, quia, quamvis meritum mortis extensum sit ad Angelos, non inde fit mortuum esse pro Angelis, quia non pro illis ordinata et assumpta est mors. Exemplum evidens est, quia Christus per mortem suam sibi aliquid meruit; et tamen non propterea dici potest pro se mortuus; quin potius in Concilio Ephesin., can. 10, damnantur dicentes, Christum pro se obtulisse sacrificium, et definitur pro solis hominibus obtulisse.

4. *Fulgentius.* — *Redemptio proprie quid sit.* — Dico secundo, Christum non posse proprie dici redemptorem Angelorum. Hoc etiam colligitur ex August. supra, et ex communi modo loquendi Theologorum. Ratio est, quia nullus redimitur, nisi is qui sub peccato servit, ut ex Zosimo Pap. dicit August., epist. 157; sed Angeli sancti nunquam servierunt peccato. Neque satis est quod potuerint peccare, et propter merita Christi præservati sint; hæc enim ratione potuerunt dici divina virtute, seu propter Christi merita fuisse præventi ne peccarent, seu defensi a peccato, ut loquitur Fulgent., lib. 2 ad Trasimund., cap. 2, circa

ARTICULUS I.

Utrum dicendum sit Christum esse subjectum Patri¹.

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod non sit dicendum, Christum esse subjectum Patri. Omne enim quod subicitur Deo Patri, est creatura; quia, ut dicitur in lib. 2 de Ecclesiasticis dogmatibus, in Trinitate nihil est serviens, neque subjectum. Sed non est simpliciter dicendum quod Christus sit creatura, ut supra dictum est². Ergo etiam non est simpliciter dicendum, quod Christus sit Deo Patri subjectus.*

2. *Præterea, ex hoc dicitur aliquid Deo subjectum, quod est ejus dominio serviens. Sed humanæ naturæ in Christo non potest attribui servitus. Dicit Damasc. in 3 lib. 4: Sciendum est quod neque seroam ipsam, scilicet humanam naturam Christi, dicere possumus; servitutis enim et dominationis nomina, non naturæ sunt nomina, cognitionisque signa, sed eorum quæ ad aliquid, quemadmodum paternitatis et filiationis nomina. Ergo Christus secundum humanam naturam non est subjectus Deo Patri.*

3. *Præterea, prioris ad Corinth. 15 dicitur: Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc ipse Filius subjectus erit illi, qui sibi subiecit omnia. Sed, sicut dicitur Hebr. 2: Nunc nondum videmus omnia subjecta ei; ergo nondum ipse est subjectus Patri, qui ei subiecit omnia.*

Sed contra est quod Dominus dicit Joann. 14: Pater major me est. At Augustinus dicit, in primo de Trinitate⁵: Non immerito Scriptura utrumque dicit, et æqualem Patri Filium, et Patrem majorem Filio; illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur. Sed minor est subjectus majori. Ergo Christus secundum formam servi est Patri subjectus.

Respondeo dicendum, quod cuilibet habenti aliquam naturam, conveniunt ea quæ sunt propria illi naturæ. Natura autem humana ea sui conditione habet triplicem subjectionem ad

finem, non tamen hoc sufficit ad propriam redemptionem, quia *redemptio* dicit iteratam emptionem. Supponit ergo, eum qui redimitur, esse aliquo modo captivum et venditum sub peccato vel in se, vel in radice sua, ex qua necessario contrahenda esset servitus et captivitas peccati; Angeli tamen sancti neutro modo fuerunt captivi, et ideo non fuerunt redempti, neque a Christo meritorie, neque a Deo ut principali auctore gratiæ, sicut etiam mali Angeli non possunt dici quoad sufficientiam redempti, eo quod illis data est sufficiens gratia, qua possent vitare peccatum. Adde, Christum solum redemisse proprie pro quibus satisfacit, Christi enim redemptio hoc totum et hoc potissimum includit; certum est autem Christum non satisfacisse pro Angelis. Potest ergo Christus vere dici sanctificator, justificator et glorificator Angelorum, non vero proprie redemptor. Unde illæ locutiones Bernard. et Dionys. supra citatæ non sunt omnino propriæ et rigorosæ; omnem enim liberationem a peccato, *redemptionem* vocarunt, nos vero hic explicamus propriam et rigorosam significationem verborum. Et idem ad Theodoretum dicendum est, cujus locutio magis vitanda est, quia magis redolet errorem Orig., quanquam a Theodor. in catholico sensu explicetur; dicit enim Christum mortuum esse pro omnibus, quia *per ipsum omnia instaurantur*, ut Paulus alio loco dixit.

QUÆSTIO XX.

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO, SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBJECTUS, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his que conveniunt Christo per comparisonem ad Patrem. Quorum quedam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem; puta, quod est ei subjectus, quod ipsum oravit, quod in sacerdotio ministravit. Quedam vero dicuntur, vel dici possent, secundum habitudinem Patris ad ipsum; puta, si Pater eum adoptasset, et quod eum prædestinavit.

Primo igitur considerandum est de subjectione Christi ad Patrem. Secundo, de ejus oratione. Tertio, de ipsius sacerdotio. Quarto, de adoptione, an ei conveniat. Quinto, de ejus prædestinatione. Circa primum quærentur duo.

Primo, utrum Christus sit subjectus Patri. Secundo, utrum sit subjectus sibi ipsi.

¹ 1 p., q. 42, a. 4, ad 1, et q. 43, a. 7, ad 1, et 3, d. 11, art. 1, ad 2, et d. 17, art. 3, q. 1, corp., et 1 Cor. 15, lect. 3, fin.

² C. 4. Habetur hic liber inter opera August., tom. 3.

³ Q. 16, art. 8.

⁴ Orth. fid., c. 21, parum ante med.

⁵ C. 7, ante med., tom. 3.